

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

16/413

DE

vide fol. 53.

CVLPA IN CONTRA-
CTIBUS PRAESTANDA,

1648, 2.

Quam

SUB AUSPICIIS SACRO-SANCTÆ TRINITATIS,

EX DECRETO

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI ORDINIS
JURECONSULTORUM, IN UNIVERSITA-
TE ARGENTINENSIS,

PRO

CONSEQUENDIS HONORIBVS DOCTO-
RATVS, IN VTROQVE IURE,

Publicè & solenniter ventilandam pro-
ponit

PHILIPPUS DAUMB,
Dillenburgo-Nassovius.

Ad diem 30 Novembris.



ARGENTORATI, EX TYPOGRAPHEO
FRIDERICI SPOOR,
ANNO M. DC. XLVIII.



ILLVSTRISSIMO, EXCELLEN-
TISSIMO, ET GENEROSISSIMO S. R. I.
COMITI ET DOMINO,

DN. LVDOVICO HEN-
RICO,

Comiti in Nassaw / Sakenelenbogen / Biana-
den / & Diez / Domino in Weilstein / &c. Sacr. Cæsar.
Majestat. Generali Vigilum Præfecto, & Tri-
buno Equitum Peditumve, &c.

Domino suo Clementissimo.

Nec-non

EJUSDEM DOMINI COMITIS

Consiliario

Amplissimo & Consultissimo

D. JOHANNI DAUMB,

Parenti suo honorando,

Debita Submissionis

&

Honoris ergo

D. D. D.

AUTHOR.



Praefatio.



On improbando more, in bene
constitutis Academiis receptum est, ut
ii qui fiducia studiorum & industriae, ab
Amplis. collegiis facultatem impetra-
runt disputandi, pro summis honoribus,
tale seligant thema, quod dignum sit, in

quo vel ipsi elaborent, vel auditorio exhibeatur. At-
que inter eos quidem praeceteris laudem mereri viden-
tur, qui manum admovent rarioribus, & in vulgus
fere incognitis tractatibus: accidit enim ista ratione,
ut exscriptarum operarum suspicionem facilius amo-
liantur, & quantum ipsi praestare possint, tali specimine
clarius elucescat. Eorum vestigiis insistere, aliquan-
do animus erat, nec destitissim consilio, si anni tempe-
stas moram indulgeret. Verum cum post exactum nov-
ennium inter peregrinos, grandaevi parentis vota me
in patriam revocent, & mei ipsius desiderium justis de
causis facile impellat, de consilio optimorum virorum
existimationi meae non incommodum fore visum est,
prius specimen aliquod publico examini submitte-
re, cum vel me fatente, & Homero iudice *ιλιαδ. β.* sit

αἰσχρὸν τοι δειρὸν τε μένειν, κενεὸν τε νέεσθαι.

*Turpe diu mansisse, domum vacuumque
redisse.*

A 2

Pla



Placuit igitur, loco inauguralis speciminis confessui exhibere, selectiores hasce theses de Culpa, non raro quidem, nec tamen usquequaque expedito vel inutili argumento, quippe cujus materia, asserente Bartolo *ad l. 32. depos. & difficillima sit, & subtilissima, & quotidiana, & à Doctoribus male explicata.* Quanquam non diffitear, quod vel accuratior vel plenior tractatio institui potuisset, sed apud æquum æstimatorem facile erit veniam impetrare, sive quòd necessitas supra allegata causam meam faciat probabilem. *l. 27. de manum. test.* sive quòd angustia temporis impediti favorem mereantur. *l. 16. ex quib. caus. maj.* Quod si & antehac in eo ipso pulpito, de eodem argumento vel non dissimili, actum esse videatur, cogitandum erit, quod veritas sæpius exagitata magis in luce splendescat. *c. grave 35. qu. 9.* aut si vires negant stabiliendæ veritati subsidium ferre, nos hac ratione tuebimur, quod & ipse Prætor quandoque actum egerit, non alio fine, quam ut ostenderet sibi quoquere, de qua agitur, curam fuisse. *l. 3. §. 1. naut. camp. stab. l. 1. §. 2. de publican. l. 15. §. 26. de injur.*

THE-



THESIS

I

Ria fere sunt, quæ in negotiis ho-
minum præstanda veniunt, Dolus, Culpa, & Casus.
Dolus & Casus se habent ut extrema. Bachov. *ad*
wesenb. t. commod. n. 7. Suth. diff. 13. aph. 45. Dolus
enim *semper* præstandus est, quia nunquam relinqui debet impu-
nitus *l. 11. §. 1. de dol. mal. except. aded ut ne pacto quidem futurus*
remitti possit l. 27. §. 3. & 4. de pact. ne quis invitetur ad delin-
quendum l. 5. §. 1. de pact. dot. Casus verò *nunquam* præstat,ur,
quia nullum humanum consilium eum prævidere potest *l. 2. §. 7.*
de adm. rer. ad civ. pertin. l. 6. C. de pign. act. impossibilem verò
nulla est obligatio l. 85. de Reg. Juris. Nisi (1.) quis pacto eum in
se suscepit *l. 1. C. commod. l. 1. C. de pos. vel (2.) culpa præcesserit*
l. 16. de nox. act. l. 1. §. 4. de O. & A. l. 5. §. 7. commod. §. 2. I. quib.
mod. re. aut (3.) mora intervenerit l. 5. de reb. cred. l. 8. §. 6. d.
precar. quæ tria junctim proponuntur in c. un. X. de commod.
aut (4.) res æstimata data sit l. 5. §. 3. commod. l. 1. de æstimat.

II

Nos, extremis omissis, de Culpa videbimus, quæ mediū lo-
cum obtinet. Et ordine quidem 1. de ambiguitate vocis.
2. de culpæ definitione; 3. Ejus divisione & gradibus, tum in
se consideratis, tum per interpretationem; quo loco de exæqua-
tione doli & latæ culpæ tractabitur. 4. Subjiciemus regulas
quasdam generales, suo loco protheoriæ vicem exhibentes. 5.
quæ culpa in singulis contractibus præstanda sit. 6. an idem
in contrariis judiciis observetur, quod in directis: & 7. quid juris
sit in contractibus innominatis.

III

Culpa vel *latè* accipitur, vel *strictè*. Latâ significatione sub
se

A 3

se comprehendit (1.) dolum; nam is qui dolo facit utique in culpa est. Amplifs. & Consult. Dn. D. Tabor, Fautor & Doctor meus plurimum colendus *partit. Elem. disput. 7. Th. 3.* (2) moram *l. 91. §. 3. de V. O. Mynf. ad §. 3. l. de Emt. vend. n. 13.* (3.) apud Feudistas omne delictum, propter quod vasallus beneficio suo privari potest; quo sensu dicitur principem capitaneos sine culpa devestire non posse *l. F. 7. sic, seniorum credentiam manifestare, eorundem uxores adulterare, culpæ vocantur l. F. 17. 19. 21. 22. in fin. quæ significatio nec juri civili incognita est l. 9. §. 3. de minor. l. 11. §. 1. & 2. C. de repud. ubi conjugum delicta culpæ appellantur. Stricta significatione, dolo & moræ opponitur.*

IV.

Culpa, strictè sic dicta, definiri potest, quòd sit imprudentia, quâ homines circa res vel negligunt quòd fieri oportet, vel faciunt quòd omitti debet. Del-Rio apud Gædd. *ad l. 213. §. 2. n. 1. de V. S. Eodem modo definit Coraf. 4. miscell. i. n. 9. præterquam quòd restringat ad res alienas.*

V.

Ejus gradus tres sunt, lata, levis, & levissima, quòd glossa jam olim rectè asseruit; non plures, nec pauciores. Quos sive gradus, sive species appelles, nihil ad rem pertinet. Bach. *ad Treut. l. disput. 26. Th. 2. A. quanquam vulgò dici solet, Majus & minus non variare speciem, ex l. ult. de instr. vel instrum. leg. l. 11. pr. qu. serv. amitt. quòd examinando prosequitur Just. Mejer. disput. de Culpa Th. 89. seqq.*

VI.

Peccat igitur in Excessu Bartol. *ad l. 32. depos. qu. 2. quinque ponens culpæ species, latissimam, latiore, latam, levem, & levissimam, ubi testatur hanc modernorum (suæ ætatis) sententiam esse.*

VII.

Peccat in Defectu Donell. *16. comm. 17. non agnoscens culpam levissimam, contra l. 44. ad L. Aq. c. un. x. de commod.*

VIII.

Lata culpa est, non intelligere quòd omnes intelligunt *l. 213. §. 2. l. 223. de V. S. dicitur & latior l. 32. depos. gravior l. 54. §. 2. de*

45.

acq. rer. dom. & remissior negligentia l. 5. C. de per. tut. ubi Goth. Cætera ejus epitheta vide apud Dn. D. Tabor. part. Elem. disput. 7. Thes. 6.

IX.

Atque hæc est lata culpa in se considerata. Per interpretationem lata culpa est dolus, & ignorantia juris est lata culpa, de quibus ordine.

X.

Lata culpa in contractibus continetur sub dolo, in tantum ut etiam si dolus sub particula taxativa, duntaxat, solum, tantum exigatur, tamen lata culpa non reperiatur exclusa. Post Gloss. Decius. ad l. 23. de Reg. Jur. n. 1. Niel. disput. Feudal. 3. coroll. lit. A. Bachov. ad Wes. t. qui notant infam. n. 4.

XI.

Quod si quis quærat, quare dolus modò implicitè in se contineat latam culpam, ut th. preced. modò explicitè ipsi adjungatur, ut in l. 8 §. ult. mand. l. 7. C. arb. tut. l. 2. C. de in lit. jur. rationem esse puto, quia Jcti, cum de re inter ipsos constaret, de verbis non fuerunt semper æque accurati & solliciti. confer Bachov. ad Wesenb. t. commod. n. 7. & ad r. loc. n. 15. in fin.

XII.

Lata culpa dolo comparari dicitur in l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. dolum repræsentare l. 1. §. 2. si is qui test. lib. Quanquam autem secundum rerum naturam, simile non sit idem, (quæ est Bartoli prima objectio ad l. 32. depof.) civili tamen ratione nihil prohibet, alterum de altero prædicari, propter eosdem fere juris effectus. Vnde & lata culpa dolus dicitur l. 226. d. V. S. l. 32. depof. scil. præsumtus. Eam enim qui admittit suspicandi causam præbet, indifferens ipsi fuisse, fieret ne damnum, nec ne, & ut fieret per negligentiam suam maluisse. Amplifs. & Consult. Dn. D. Bicc. rer. quotid. sect. 4. Thes. 126.

XIII.

Lata culpa pro dolo quoque habetur (1.) in actionibus civilibus pœnalibus l. 11. §. 11. de interrog. fac. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. l. 1. §. 2. si is qui test. lib. ubi Bachov. ad VVesenb. (2.) etiam cum agitur de irroganda infamia l. 7. §. 1. de suspect. tut. l. ult. ubi pup. educ.



educ. l. 42. d. V. S. juncto §. 6. l. de susp. tut. l. ult. C. eod. l. 11. §. ult. qui notant. infam. (3.) vel coërcenda contumacia, ut in edicto de in lit. jur. l. 5. §. 3. d. in lit. jur. juncta l. 2. C. eod. ubi Perez. n. 2. aliud exemplum in l. 8. pr. de edend.

XIV.

Lata culpa & dolus non comparantur (1.) in criminibus publicis regulariter l. 7. ad L. Corn. de sicar. l. 23. §. 2. de ad. ed. (2.) in veris delictis privatis arg. l. 46. §. 7. l. 50. §. ult. de furt. l. 2. §. 18. de vi bon. rapt. (3.) in quasi delictis pr. l. de obl. ex qu. del. l. 5. §. 4. de O. & A. l. ult. de extr. cogn. juncta l. 15. §. 1. de jud. l. 3. ad L. Iul. rept. ult. C. de pœn. jud. qui mal. jud. (4.) in edicto de dolo: ob latam enim culpam actio de dolo non competit arg. l. 1. §. 2. de dol. ubi VVes. paratit. n. 4. Et (5.) generaliter ubi nominatim dolus requiritur, ut in Edictis de albo corrupto l. 7. §. 4. de jurisd. de servo corrupto l. 1. pr. & §. 3. l. 3. pr. eo tit. in interdicto Ne vis fiat ei qui in poss. d. 1. pr. juncto §. 4. eo tit.

XV.

De ignorantia juris communis quæritur, an latae culpæ sit annumeranda? Ignorantia alia est juris naturalis, alia civilis c. turbatur 12. vers. ignorantia caus. l. qu. 4. illius ignorantia, quæ præcepta communia iusti & iniusti ignorantur, omnino est lata culpa, dolo comparanda. Nec rusticitati venia datur l. 2. C. d. in jus voc. ne quidem in delictis personis istis, quibus alioquin jus ignorare permissum est l. 9. §. 3. l. 37. §. 1. de min. l. 38. §. 2. de adult. t. C. si advers. delict. junctâ l. 9. pr. de l. & ign. Jus civile ignorare, etsi lata culpa sit l. 9. C. de LL. l. 12. C. de l. & E. ign. junctâ l. 223. d. V. S. fac. l. 9. §. 5. ibi, nec stultis de l. & E. ign. & dolo sæpè comparatur l. 1. §. 2. de ad. ed. l. 11. §. ult. qui not. inf. l. 16. §. 5. de publican. l. 15. pr. de fals. de vi bon. rapt. aded ut videatur, hoc certa definitione non posse comprehendi. Vide l. ult. de decret. ab ord. fac. l. 3. §. 22 ad SC. Silan.

XVI.

Hæc de lata culpa. LEVIS est omissio mediocris diligentiae. Ita dicta, non quod aliquando grande damnum non afferat. Oldend. presat. class. vel quod jactura levis tantum sit; sed quia omissio diligentiae tanta non est, ac in lata.

XVII. At-

XVII.

Atque hæc plerunq; , culpæ nomine simpliciter prolato , de-
notari solet. Dec. ad l. 23. de Reg. Iur. n. 19. Cagnol. ibid. n. 12. Tim.
Fab. disput. 11. Thes. 8. & ceu regulam proponit Bachov. ad Wesenb.
qui notant. inf. n. 4.

XVIII.

Levissima culpa est omissio diligentiae , quam exactissimi &
diligentissimi patresfamil. adhibere solent l. 18. pr. commod. Hu-
jus culpæ semel tantum fit mentio in jure l. 44. ad L. Aq. Duaren.
apud Rittershus. in proth. cap. 5. in fin. ad l. 23. de Reg. Iur. cujus ra-
tio , quia per oppositum suum (diligentiam) innui solet. Tim.
Fab. disput. 22. thes. 12. B.

XIX.

Per interpretationem huic culpæ adscribi potest , imperitia
& infirmitas , de quibus in l. 132. de Reg. Iur. l. 8. §. 1. l. 27. §. 29. ad
L. Aq. §. 7. 8. Instit. eod.

XX.

Enumerationi graduum speciali , subjiciamus regulas quas-
dam communes , quæ suo loco applicari poterunt. Nempe cul-
pa , in genere considerari potest quod consistat , vel in faciendo ,
vel in non faciendo : aut quod sit , vel commissionis , vel omissio-
nis l. 91. pr. de V. O. fac. l. 31. §. 12. de ad. ed.

XXI.

Culpa commissionis est , quando imprudens quis facit , quod
facere non debebat , ut est , nimia & immoderata sævitia magistri in
discipulos l. 6. ad L. Aq. mariti in servos dotales l. 24. §. 5. sol. matr.
in eo qui per lasciviam mortis causam præbet sine dolo l. 4. §. 1. de
ficar. si quis imprudenter tractet sclopetum l. 45. §. 4. ad L. Aq. si
socius rebus communibus facto suo noceat l. 52. §. 2. in fin. pro soc.
aut coheres debeat rationes hereditarias l. 16. §. 4. 5. fam. erc. mit-
tere servum per loca insidiosa l. 36 §. 1. de R. V. rubro panno fuga-
re pecus l. 50. §. ult. de furt §. 11. l. eod. Huc etiam pertinet exem-
plum in l. 7. de ficar. si quis ex alto se præcipitet , & alium occidat.
Præcipitatio enim ibi intelligenda est quæ voluntaria sit , cum quis
sua sponte ex alto defilit. Connan 7 comm. 4 n. 7. forte ut fu-
giat. Gothofred. ibid. quod notandum contra Bachov. ad Wesenb.

B

eo



eo tit. n. 23. ubi valde ridiculum hoc vocat, & neminem nisi fatuum id culpæ annumerare posse, insubide pronunciat.

XXII.

Omissionis culpa est, quando negligenter omittitur, quod erat faciendum, ut, non custodire fugitivum l. 36. §. 1. de R. V. negligenter habere ignē, non extinguere, non munire, obdormire ad fornacē l. 3. §. 1. de offic. pref. vig. l. 27. §. 9. ad L. Aq. non observare custodias. l. 12. de cust. reor. Hujus culpæ reus est vasallus, qui rescivit aliquem contra Dominum in assaltum, vel mortem, vel captivum moliri, & negligentia suā non certiores fecit Dominum, ut imminens periculum declinaret. 2. F. 24. §. 2. Vult. lib. 1. de Feud. cap. 11. n. 47. Hæc culpa per desidiam & negligentiam exponitur ab Imp. §. 3. de obl. ex re. §. ult. de soc. post JC. in l. 72. pro soc.

XXIII.

Præstare dolum, casum, culpam, periculum, diligentiam, custodiam, factum, &c. tritæ sunt & frequentes locutiones in jure nostro, pro, eventum doli, casus, &c. in se recipere. Vid. Rittershus. cap. 7. protheor. comm. ad l. 23. de R. I.

XXIV.

Quamquam culpæ nomine simpliciter posito, plerunque levem intelligi dictum sit, th. 17. supra, tamen generale nomen est, & pro subjecta materia jam lata, jam levis, jam levissima; nonnunquam etiam levis & levissima simul intelligitur. Ant. Matth. de fund. jur. disp. 20 thes. 21. Del-Rio apud Gædd ad l. 223. §. 1. n. 1. Decius ad l. 23. de R. Iur. n. 19. post Bald. ad l. 6. C. de pignor. action.

XXV.

Idem de diligentia observandum, cujus voce licet proprie veniat oppositum levissimæ culpæ. Bachov. ad Wesf. t. de admin. rer. ad civ. tanquam nobilior species: tamen generale nomen est, cujus tres sunt gradus æque ac culpæ, ex lege oppositorum.

XXVI.

At, quomodo differunt Diligentia & Custodia? quærendi occasionem suggerit JCtus in l. 5. §. ult. commod. ubi præter dolum & Culpam, etiam diligentiam & custodiam præstandam esse ait: ne igitur τὸ αὐτὸ dixisse videatur, aliqua inter hæc erit differentia

rentia arg. l. 7. C. de cod. x. Ratio dubitandi, quia vix apparet, quomodo diligentia (praesertim exactissima) adhibita, res non simul custodiat? Videtur dicendum, quod custodiae nomen proprie denotet speciem diligentiae, quae pro re servanda adhibetur & opponitur periculo amissionis, quod furto vel fuga contingere potest. confer Mynsing. ad §. 3. l. de emt. vend. n. 13. Sape etiam haec vocabula promiscue usurpantur. Mejer. disput. de Culpa th. 78. Bachov. ad Treutl. 1. disput. 26. thes. 2. A.

XXVII.

Omissio diligentiae in rebus alienis, quam adhibemus in propriis, modò est definitio levis culpa §. ult. l. de societ. l. ult. C. de pact. conv. in f. l. 17. de jur. dot. l. 25. §. 16. fam. etc. modò latae l. 32. depos. modò levissimae l. 5. §. 4. in f. commod. Atque ita memini me accepisse à Clariss. & disertissimo Jcto Dn. Johan. Jacobo VVissenbachio, Professore in Academ. Frisior. dignissimo, praecceptore meo honorando.

XXVIII.

Culpa non malè consideratur vel in abstracto & generaliter, vel in concreto & specialiter, hujus vel illius commodatarii, depositarii &c. intuitu, arg. l. 32. depos. ubi communis hominum diligentia opponitur curae, quae fit ad suum modum. Bachov. ad Treutl. 1. disput. 10. thes. 5. D. Ampliss. Dn. D. Tab. d. disput. 7. thes. 5. in expos.

XXIX.

Nec negligendum, levem culpam, facilioris doctrinae causa, subdividi posse in tres gradus, quorum primus & latae culpae proximus est, Non adhibuisse suam saltem diligentiam. Hujus exempla in Socio l. 72. pro soc. §. ult. l. eod. in dote l. 17. pr. de jur. dot. in coherede l. 25. §. 16. fam. etc. Secundus gradus levis culpa, ipsum medium obtinens est, Non adhibuisse diligentis patrisfamil. diligentiam. Exempla sunt in emt. vend. §. 3. l. eo tit. in pignore l. 14. de pign. act. in tutela l. 33. pr. de adm. tut. Tertius gradus levis culpa quam proxime ad culpam levissimam accedens est, Non adhibuisse specialem aliquam & pronatura negotii estimandam diligentiam. Exempla in l. 25. §. 7. loc. §. ult. l. eod. Just. Mejer. de culpa th. 13. Locam, disput. de caus. Act. thes. 125. Dn. D. Tab. part. Elem. disp.

disputat. 7. thes. §. in exposit. Dn. D. Bicc. rer. quotidian. sect. 4. thes.
137. seqq.

XXX.

Et hæc subdivisio, cum contrariorum sint contraria consequentia, ex legibus oppositorum, diligentia quoque accommodari debet.

XXXI.

Hæc quidem de culpæ gradibus, quatenus generalibus regulis comprehendi possunt. Sed cum sæpe accidat, ut censendo magis quam disputando percipi & dignosci possint, Oldendorp. *præf. class* & ut loquitur Jctus *in l. 12. §. 2. rat. rem hab.* magis intellectu percipi, quam elocutione exprimi; prudens iudex culpam æstimabit, pro subjecti negotii natura *arg. l. 15. §. 11. quod vi aut clam l. 12. ibi, pro modo culpæ statuendum, de cust. reor.* habitâ diligentia consideratione qualitatis & conditionis personæ, de qua agitur. *arg. l. 16. §. 1. de op. lib. Coras. 4. miscell. 1. n. 11.*

XXXII.

Sequitur, quid in singulis contractibus, specialiter observandum sit. Illud dijudicandum est ex hac regula (quæ tamen sæpe suum perdit officium, ut ex sequentibus cuivis patebit) generali, in directis judiciis observanda: In contractibus, aut *utriusque contrahentis* utilitas vertitur, & præstanda est levis culpa regulariter; aut *solius dantis* vertitur commodum, & præstatur lata; aut *solius recipientis*, & præstanda venit levissima. *l. 5. §. 2. commod. l. 108. §. 12. de leg. 1. l. 31. in fin. locat. Tim. Fab. disput. 22. thes. 12. Suth. dissert. 13. aphor. 46.*

XXXIII.

Lata culpa præstatur in Deposito, regulariter. *l. 1. §. 10. §. 47. depos. junctâ l. 1. C. eod.*

XXXIV.

Levis culpa præstanda est I. ex contractibus realibus in Pignore *d. l. 5. §. 2. commod.* in eo enim utriusque utilitas vertitur *§. ultim. l. quib. mod. re.* Nec necesse est, ut in *l. 13. §. 1. de pignor. act.* pro ut legamus at cum Niell. *disput. Feud 3. coroll. lit K.* ut ut ingeniosa videatur ista correctio, & parum violenta.

II. Ex consensualibus 1. in emtione venditione *§. 3. l. de*

de emt. vend. l. 35. §. 4. de contrah. emt. l. 11. de per. comm. rei vend.

2. In locatione conductione *d. l. 5. §. 2. commod. l. 9. §. 3. locat.*

3. In societate *l. 52. §. 2. l. 72. pro soc. §. ult. l. de soc.*

III. Ex quasi-contractibus 1. in communiōe rerum, tūm singularum *l. 4. inf. C. comm. div. tūm univērsarum l. 16. §. 4. l. 25. §. 16. fam. etc.*

2. In aditione hereditatis. Heres enim præstabit in rebus legatis vel fideicommissis relictis, regulariter levem culpam, ad similitudinem contractuum, in quibus utriusque contrahentis versatur utilitas *l. 26. §. 1. l. 47. §. 2. 4. 5. de leg. 1. junctâ l. 108. §. 12. l. 116. pr. eod. Locam. qu. 253. Vide Bart. qu. 15. ad l. 32. depos.*

3. An etiam in tutelæ administratione? Hoc non exprimitur in *l. 5. §. 2. commod. nec in tutela utriusque, sed solius pupilli commodum versatur. Tutelæ enim onus invito quoque injungi potest l. 9. de mun. & hon. & naturâ suâ gratuitum est, autoritate juris publicâ, & singulari pupillorum favore ita exigente; vide Wesenb. paratit. de tutel. n. 4. in fin. Sane tutorem regulariter de levi culpa, non etiam levissima teneri, communius Dd. placere video. Ab eo exigitur talis diligentia, qualem idoneus paterfamil. suis rebus adhibet *l. 10. l. 33. pr. de adm. tut. (ex qua supplenda l. 1. pr. de tut. rat. distr.)* sufficit tutori bene & diligenter negotia gessisse *l. 3. §. 7. de contrar. tut. act. doli & culpæ meminit l. 18. de tut. rat. distr. l. 39. §. 7. l. 57. pr. de adm. tut. doli, latæ, & levis culpæ l. 7. C. arb. tut. Dixi, regulariter. Quandoque enim de sola lata culpa tenetur *l. 5. §. 7. l. 7. §. 2. de adm. per. tut. l. 2. C. arb. tut. quandoque etiam de levissima l. 24. ibi, tutissima custodia C. de adm. tut.***

XXXV.

Levissima culpa præstanda est 1. ex realibus contractibus in commodato, quia solius commodatarii gratiâ plerunque constituitur. *§. 2. l. quib. mod. re. l. 5. §. 2. inf. commod.* Atque ita intelligendi textus diversimode loquentes. Gajus in commodato exactissimam diligentiam exigit *l. 18. pr. commod. l. 1. §. 4. de O. & A. Vlpian. diligentem custodiam requirit l. 5. §. 5. comm. doli & culpæ tantum meminit l. 8. §. 3. de precar. Pompon. non facile ultra culpam aliquem in commodato teneri ait in l. 16. de cond. furt.*

2. Ex consensualibus in Mandato *l. 13. 21. C. mand. Dyn. ad c.*

contractus §. de R. I. in 6. Gædd. ad l. 223. §. 1. n. 1. de V. S. Bocet. com. ad l. 23. de Reg. Iur. c. 4. n. 43. Rittershus. ibid. c. 5. Tim. Fab. disput. 24. thes. 18. Bachov. ad Treutl. 1. disput. 27. thes. 7. lit. C. Suth. diff. 15. thes. 70. Perez. C. h. t. n. 9. Atque ita etiam olim placuisse video celeberrimo Jcto, viro Nobiliss. & Strenuo Dn. PHILIPPO HENRICO HÆNONIO, Illustrissimi Comitis Nassovii Consiliario dignissimo, parentis honoratissimo collegæ in disp. 5. ad tit. D. de Reg. Iur. cum multis ibi allegatis.

3. Ex quasi-contractibus in negotiorum gestione §. 1. I. de obl. ex quasi contr. l. 24. C. de usur. Recte vertit Theoph. ἀκριβέστατον καὶ ὑπερβάλλουσιν ἐπιμέλειαν. Gothofr. ad l. 3. §. 9. de neg. gest. Vult. 1. discept. 15. Ant. Matth. in not. ad d. §. 1. Tim. Fab. disput. 25. thes. 1. lit. C. Bachov. ad Treutl. 1. disp. 10 thes. 5. D. Suth. diff. 15. aph. 74. XXXVI.

Atque hoc modo, quo dictum est, culpa præstanda venit in directis judiciis. In contrariis, inverso fere modo res sese habet, ita ut constituenda sit regula d. l. 5. §. 2. commod. contraria. Bach. ad Treutl. 1. disput. 27. thes. 7. lit. E. & F.

XXXVII.

Ut enim ex regula d. l. 5. commod. in iudicio directo, levissima culpa præstanda est, si recipientis tantum gratia contrahatur, v. gr. commodatarii: Ita ex adverso in iudicio contrario, commodator tenetur commodatario tantum doli, & latae culpæ nomine l. 17. §. 3. inf. l. 18. §. 3. l. 22. commod. junctâ l. 32. depos. Ex ratione, quod adjuvari nos, non decipi beneficio oporteat d. l. 17. canonisata in c. un. x. de commod.

XXXVIII.

Versa vice. Quemadmodum ex regula d. l. 5. in directis actionibus præstanda venit lata culpa, ubi solius dantis causa contractum fuit, v. gr. in deposito (excipiendum est mandatum, quod exactiss. diligentiam requirit, licet solius mandantis gratia suscipiatur, ut supra dist.); Ita ex adverso in contrario iudicio, deponens tenetur depositario de levissima culpa; quod inde colligere possumus, quia ob damnum ex re deposita ortum, in solidum tenetur, etiam si ignoraverit v. gr. servum depositum furem esse l. 61. §. 5. de furt. Atque hac in parte idem in mandato obtinet. d. §. 5. Ratio

420.
Ratio hujus juris est, quod depositario vel mandatario officium
damnosum esse non debeat. d. §. 5.

XXXIX.

Quid si utriusque utilitas vertatur in contractu, ut in pignore,
locatione, venditione, quid præstandum veniet in contraria pi-
gnoratitia, vel actionibus emti, conducti? Hac de re quæ Bachovii
sit sententia, videri potest in not. ad Treutl 1. disput. 29. thes. 7. lit.
C. Certè cum res intricata juxta ac incerta esse videatur, ego le-
ctorem aliò remittere malo, quàm temerè quicquam definire.

XL.

Unicum restat, quomodo in contractibus innominatis æsti-
matio culpæ ineunda sit? Et notandum, quod de his singularis
doctrina tradi non possit, sed judicandi sint, secundum naturam
nominatorum, ad quorum similitudinem propius accedunt. arg. l.
10. §. 1. commod. l. 1. §. 9. 10. depos. l. 5. §. 4. l. 17. §. 1. & 2. de præscript.
verb. Bartol. ad l. 32. depos. qu. 14.

Ne hac pagina vacua relinqueretur, prelojam cur-
rente, congerere libuit sequentia

COROLLARIA.

I.

A Pud scriptores Juris publici queritur, An Princeps
Electo ex Aurea Bulla Carol. IV. cap. 7. vers. Ea tamen con-
ditione, filio suo alium tutorem testamento dare possit, quàm proximum
agnatum? Et quanquam in Negativam frequentius itum sit, Affirma-
tivam tamen veriore existimo, tum propter regulam juris communis
l. 11. pr. de testam. tut. l. 9. §. 1. de tut. & rat. distr. tum quia vix ra-
tionis est, Serenissimo Principi ademptum credere, quod vilissimo cuiq;
ex plebe rusticana competit.

II. Idem querunt, An filii Electorum, finita tutelâ decimo octavo
etatis anno, non tantum Electores sint, sed & Principatum suorum
administratores? Aff.

III. Quæro, An Jure Canonico antichresis prohibita tantum
Clericis? Hoc velle videtur Rittershus. 3. differ. 7. per c. 1. c. 8. X.
de

de usur. *Quid vētat prohibitionem etiam ad Laicos extendere per c. 2. X. de Usur. c. 7. X. de jurejur. ? vide Bachov. ad Wesenb. de pign. & hypoth. n. 5. ibi, sed jure canonico omne (pactum antichreticum) illicitum. Gudelin. de jure noviss. lib. 3. c. 3.*

IV. *Nemo per adoptionem fratrem sibi facere potest l. 7. C. de hered. inst. quia adoptio naturam imitatur. Αδελφοποιία igitur ista, quae vulgò inter pocula fieri consuevit, vix quicquam habet praesidii in jure.*

V. *In quibusdam rebus publicis consuetudine receptum est, ut rei capitis à supplicio liberentur, si à mulieribus in matrimonium petantur. Cujus rei rationem nullam se afferre posse ait Chassanæus ad consuet. Burgund. nisi fortè quis censeat, matrimonio injecto, majorem poenam indictam videri, quam si mors fuisset indicta. Lepido errore, sed contumelioso in matrimonium, & sexum sequiorem. Probabile videtur, illud inductum esse ex c. inter 20. X. de sponsal. & matrim.*

VI. *Nullus homo tam supinus, imò magis stultus invenitur, ut suum nomen ignoret, ait Justinian. in l. ult. C. de hered. instit. Atqui Messala Corvinus, de quo apud Plin. Nat. Hist. lib. 7. c. 24. nomen suum ignoravit ? Nulla pugna. Adde Catell. Cottam in memorabilibus voce, memoria.*

VII. *Eutrop. lib. 1. Hist. Rom. redditurus rationem, quare pro uno rege duo consules creari cœperint, hanc affert, ut si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coërceret. Atqui Consul in consulem, par in parem, non habuit imperium l. 13 §. 4. ad SC. Treb. l. 3. §. ult. l. 4. de recept. arb. ?*


VIII. *Paralipomenon. Vldar. Zasius lib. 1. singul. intell. cap. 2. n. 11. latam culpam distinguit in culpam versutiæ vel malitiæ, & ignaviæ. Approbant divisionem istam Ioach. Mynsing. ad § 6. Instit. de susp. tut. n. 8. Hieron. Cagnol. ad l. 23. de R. J. n. 6. 7. Vult. 1. jurispr. 7. Gædd. ad l. 213. n. 1. de V. S. Hillig. Donell. Enucl. 16. comm. 7. lit. I. Bachov. ad Treutl. 1. disp. 26. th. 2. A p 975. Improbant Iohan. Coras. 4. miscell. 1. n. 7. Petr. Rebuff. ad l. 223. de V. S. Decian. apud Hilliger. dict. loc. Ant. Contius, Rittershus. cap. 5. protheor. ad l. 23. de R. J. Quid mihi videatur, interrogatus aperiam.*

DEO GLORIA,

X 2615944

WOM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

JURIDICA 16 413
 ALIS
 vide fol. 53.
 CONTRA 1648, 2.
 STANDA,
 CTÆ TRINITATIS,
 TO
 SSIMI ORDINIS
 N UNIVERSITA-
 N EN SI,
 RIBVS DOCTO-
 VE JURE,
 ilandam pro-
 DAUMB,
 fiovius.
 nbris.
 POGRAPHEO
 S P O O R,
 XLVIII.

